

7
De Spiritu Sancto
DISPUTATIO,
EX AVGVSTANA

Confessione, Quarta.

Cujus Propositiones,

*DIUINA ASPIRANTE GRA-
tia, Preside ÆGIDIO HVNNIO, S. Theolo-
giae Doctore, & Professore, M. JOHANNES
SCHRODERVS Hasso Treisensis, 14. Julii, in
Collegio Disputationum Theologicarum
privato defendere conabitur.*



VVITTEBERGAE,

Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci. Anno 1593.

DE De Spiritu Sancto
DISPUTATIO
EX AVGVSTANA

Conclutione, Quarta.

Cujus Propositiones

DIVINA ASPIRANTE GRA-
tia, Tractatus de Spiritu Sancto, 2. Theolo-
giae Doctor, et Professor, M. JOHANNES
GREGORIUS HALLERUS, 14. Julii, in
Collegio Disputationum Theologicarum
privato defendere conabitur.



UNIVERSITATIS

Excudebat Vidua Matthei

Velae, Anno 1723.



DE SPIRITVS SAN- CTI HYPOSTATICA

proprietate, æternaq; Deitate.

T H E S I S. I.

R

Est explicanda doctrina de Spiritu sancto.

Qui à personali sua proprietate nominatur Spiritus, hoc est, flatus sive Spiraculum: spiraculum, inquam, ἰδιοῦσα ἄτομη καὶ ἀκίνητος ἀτομή.

2. Est autem Spiritus sanctus Trinitatis persona tertia, à Patre filioq; per spirationis modum ineffabiliter procedens, verus ac

perfectus Deus, suisq; προβολεῖσι seu spirantibus ὁμοδοσι καὶ συναλλήλοις, consubstantialis & coæternus.

3. Esse illum personam apparet, quod intelligentis est naturæ, nempe Spiritus sapientiæ & scientiæ, Esa. 11. cognitionis & revelationis, Ephe 1. sciens quæ in Deo sunt, imò profunditates Dei perscrutans, 1 Cor. 2. nec indigens, ut à quoquam vel consilio vel scientia instruatur, Esa. 40. quin docens alios, Iohan. 14. & 1. Ioha. 2. quemadmodum & voluntas ei assignatur, Act. 15. & 16. 1. Cor. 12.

4. Hypostatica proprietates eius est, spirari à Patre & λόγῳ, & tanquam omnipotens utriusque spiraculum & flatus indissolubilis ex incorporali ore Deitatis illorum procedere.

5. Equidem quod à Patre procedat, id ut nunquam in Ecclesia disceptatum est, ita Christus Iohan. 14. testatum nobis reddit, hac illum periphrasi describens, quòd sit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Vnde spiritus oris eius, Psal. 33. & Spiraculum omnipotentis nuncupatur, Iob 33.

6. A Filio illum procedere, patet inde, quia ut dicitur Spiritus oris Dei Patris, non ullam aliam ob causam, quàm ob æternum illum à Patre processum: sic eadem de causa, & nulla alia nominatur Spiritus oris Christi, 2. Thessal. 2. & Spiritus labiorum eius, Esa 11.

7. Et sanè quia non gemina, sed una est Patris filijq; substantia. & uterque τὰξῃ sive ordine Spiritu sancto prior (ut proximè dictum) idcirco prorsus ἐδῶκατος est, ut ex Deitate

A 2 sub-

Esse personam sp. s.

substantiæ Patris procedat Spiritus, ex substantia verò λόγος non procedat: Ita namq; affingeretur Patri substantia diversa à substantia filij, & essentiæ committeretur distractio.

8. Est ergo Spiritus Patris, quia spiratur à Patre. Est & Spiritus FILII, Galat. 4. quia spiratur à filio. Non enim per gratiam est filij Spiritus, siquidem intra Deitatis *ὁμοίαν* gratuita illa donatio locum non habet. Si verò non per gratiam est filij Spiritus, utique per naturam, atque sic propter illam processionem à filio æternam.

9. Spiritus sanctus enim eius duntaxat est spiritus seu spiraculum (intellige per naturam) à quo spiratur: sicut filius eius duntaxat est filius, à quo gignitur.

10. Atque hoc Salvator per congruam similitudinem docere voluit, flatu oris sui mediante Spiritum sanctum Apostolis suis dispensans, Iohan. 20.

11. Evincit hoc ipsum Ordo personarum Trinitatis. Nam quia certum est, Spiritum sanctum esse personam Trinitatis non secundum sed tertiam: filium verò non personam tertiam sed secundam: aut ordo hic proveniet ab Essentiæ inæqualitate (quod absurdum) aut (quod relinquitur) à personali origine.

12. Unde necessariò concluditur, quemadmodum Pater est persona prima, quia à nullo est: & filius persona secunda, quia à solo Patre est: sic Spiritum sanctum ideo esse personam tertiam, quia ab utroque.

13. Alias si negetur à filio procedere Sanctus Spiritus, ratio dari non poterit, cur filius potius quàm Spiritus sanctus pro secunda Deitatis persona sit habendus; nisi Arianam inæqualitatem personarum comminisci libeat: quod absit.

14. Plurimum ad assertionem instituti nostri facit locus Iohannis 16. Spiritus sanctus me glorificabit, quia de meo accipiet; & annuntiabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quod de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15. Si sapientiam docendi Apostolos & annunciandi futura accipit à filio: & verò in tempore nihil à quoquam accipit, Esa.

Esa. 40. sequitur, quòd ab æterno accipiat à filio, *κοινωνία* *οσιώδης*, per processum illum hypostaticum.

16. Cumq; accipiat à *λόγῳ* Sapientiam: utique & *ὑπόστασις* suam, qua est & dicitur spiritus sive spiraculum, eidem filio acceptam feret: eò quòd *ὑπόστασις* sancti spiritus aliud nihil est, quàm sapientia eius, & vicissim.

17. Insuper si spiritus sanctus non esset naturá filij Spiritus, ob sempiternum istum à filio processum: constare nunquam posset, quòd allegatis modò verbis à Christo dicitur: OMNIA QVÆCVNQVE habet pater, MEA sunt.

18. Spiraret enim & haberet Pater Spiritum sibi proprium, quem nec spiraret nec haberet *ὁ λόγος*: atque sic proprio spiritu destitutus Filius, affirmare non posset: OMNIA, QVÆCVNQVE habet Pater, mea sunt. De donatione im, quæ sit per gratiam, hîc nihil attinet differere, ut cui in illo Trinitatis arcano locus nullus est.

19. Quin neque ius illud mittendi Spiritum sanctum in tempore, conveniret τῷ *λόγῳ*, si non unà cum Patre spirando illum in æternitate produceret.

20. Etenim cui Pater à nullo mittitur? nempe quia à nullo est. Cur filius, quæ Deus, à solo Patre mittitur? quia à solo Patre est. Ita quia Spiritus sanctus mittitur ab utroque, patet ipsum esse ab utroque.

21. Estque supra modum elegans & iucunda permutatio locutionis in ea missione temporali enuncianda, quòd videlicet Pater mittit Spiritum FILII, Gal. 4. Filius mittit promissum Spiritum PATRIS, Luc. 24. Pater mittit Spiritum in nomine FILII, Iohan. 14. & filius eundem Spiritum mittit à Patre, Iohan. 15.

22. Quæ permutatio *φρασεως* non obscure docet, esse Spiritum sanctum utrique sine ulla divisione proprium, & sine confusione personarum communem, tanquam mutui illius inter Patrem & Filium amoris essentialis divinam Flammam, & spiraculum reciproca utriusque ad utrumq; charitate inefabiliter productum.

25. Et certè nisi concedatur, à filio quoque procedere sempiternum illum Dei Spiritum, nullá inter filij & Spiritus sancti

Hypostasies interveniret relatio mutua, nullus vel Spiritus sancti ad filium, vel filij ad Spiritum sanctum respectus intrinsecus: quod repugnaret Dei absolutæ perfectioni, requirenti, ut personæ singulæ singulis in illa essentiæ unitate relationum personalium nexu quodam devinctæ sint.

Esse Deum sp. s.

24. Porro esse Spiritum sanctum verum naturâ Deum, primum ipsa hæc illius à Patre Verboq; processio demonstrat irrefutabiliter.

25. Etenim quia non, ut res omnes aliæ, extra Dei substantiam conditur, sed ex hac substantia æternaliter procedit, ideoq; Spiritus appellatur, **QVI SIT EX DEO**, 1. Cor. 2. est hoc omni exceptione maius testimonium, non rebus extra Deum conditis illum accenseri, sed divinis omnino hypostasibus annumerari.

26. Docent Deitatem eius quoque nomina, quibus in scriptura clarus & insignis est.

27. Ut quod nuncupatur Deus, 1. Sam. 22. 23. sic psallente Davide: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius factus est per linguam meam. Dixit **DEVS** Israelis mihi, locutus est fortis Israelis, Dominator in hominibus.

28. Tum quod Ananias mentiendo Spiritui sancto, non hominibus, sed **DEO** mentitus commemoratur, Act. 5.

29. Et quod Corinthios templum Dei esse Paulus hinc evincit, quia Spiritus sanctus habitet in illis, 1. Cor. 3.

30. Sic quod 1. Cor. 12. idem ille Spiritus sanctus, donorum omnium autor & dator, nominatur **DEVS & DOMINVS**, Spiritus scilicet hæc omnia efficiens, & (ut permutatis verbis idem enunciat Apostolus) Deus hæc omnia in omnibus efficiens.

31. Hinc nomen essenziale Dei, quod Dominus sibi soli Esa. 42. vindicat, nomen, inquam, **IEHOVA**, non dubitant in Spiritum sanctum conferre sacrae literæ.

32. Scribit Esaias cap. 6. dictum sibi à **IEHOVA**, Vade & dic populo huic: Auribus audietis, & non intelligetis, &c. Hunc Iehouam fuisse Spiritum sanctum, Paulus in allegatione verborum istorum, Act. 28. Iudæis luculentissimè confirmat.

33. Pari modo quod Apostolus ex Esaias citat: quis cognovit

NOVIT

novit mentem DOMINI, aut quis fuit ei à consilijs? 1. Cor.
2. hoc ipsum in originali textu, e quo citatur, de Spiritu san-
cto sonat aperte, Esa. 40. Vnde pater Spiritum sanctum esse
illum Dominum, cuius mentem nemo cognoverit, nec quis
quam ei consiliarius extiterit.

34. Is, qui locutus est per os Prophetarum, est ipse IEHO-
VA, Num. 12. ipse Deus, Luc. 1.

35. Est verò Spiritus sanctus ille, qui per os Prophetarum
est locutus, 2. Sam. 23. Acto. 1. Ephe. 3. 1. Pet. 1. & 2. Pet. 1.
Vnde liquidum euadit, nomen IEHOVAE, & vnà cum no-
mine Deitatem, cuius essenziale symbolum nomen illud est,
ὄντως ac re ipsa Spiritui sancto competere.

36. Sed neque hoc dubium est, quem olim Isreelitæ exa-
cerbarunt in deserto, fuisse IEHOVAM, palam id asserente
Mose quàm plurimis in locis.

37. Hoc ex annalibus Mosaicis repetitum, quia Esaias cap.
64. ad Spiritum sanctum confert, & Israelitas in deserto Spi-
ritum sanctum irritasse & exacerbasse refert: ipsa scriptura-
rum collatio nos revincit, sacrum hunc Spiritum, non esse ali-
um quam ipsum illum Iehovam, de quo Moyses in ea historia
suæ parte loquitur.

38. Planè ut Heb. 3. Spiritum sanctum id, quod Psalmus 95.
de Iehova à Patribus tentato canit, immediatè ad propriam
suam refert personam, hoc ipso se Iehovam illum declarans,
Psalmi Davidici dicto ceu digito nobis commonstratum.

39. Quin cum Deus 31. legatur SOLVS IEHOVA de-
duxisse populum suum in itineribus deserti; & verò hæc de-
ductio populi Israelitici in deserto tribuatur spiritui Iehovæ,
Esa. 64. quis non ex consensu Moysis & Esaiæ concludat, esse
Spiritum sanctum non alium quàm illum populi Ducem IE-
HOVAM Dominum?

40. Iam quia insuper VNVM prædicatur esse cum Patre
& verbo, 1. Iohannis 5. non obscurum est, οὐσίᾳς unitatem o-
stendi, cum accidentalis unitas neq; in Patrem, neq; in λόγον
neq; in Spiritum sanctum quadret aut competat.

41. Nequaquam prætereundum est, quòd abstracta voce
Spiritus dicitur esse VERITAS, 1. Iohan. 5. id ipsum verò
non

non convenit vlli creaturæ: pro symbolo igitur ac testimonio
Deitatis habendum.

42. Assignantur ei quoque Divinitatis propria: velut om-
nipotentia, Sap. 7. Est in sapientia Spiritus OMNIP O-
TENS. Qua de causa Spiritus roboris & fortitudinis, imò vir-
tus altissimi prædicatur, Esa. 11. Sap. 11. 2. Tim. 1. & Luc. 1.

43. Omnipotentem certè suis, quæ fecisse legitur, operi-
bus se demonstravit, atque hinc verum agnoscendum Deum;
cum primis opere creationis rerum, soli alias Deo omnipoten-
ti proprio.

44. Spiritus sanctus enim est ille spiritus Dei, qui massam
atque molem aqueam in creatione motabat, & incubando po-
tenti virtute sua reddebat habilem; ex qua corpore creaturæ
simul omnes producerentur, Gene. 1.

45. David sonoris verbis SPIRITV oris Domini vir-
tutes & exercitus cœlorum factos perhibet, Psal. 33.

46. Et Psal. 104. in eandem ferè sententiam ait. Emittes
Spiritum tuum; & creabuntur, reuovabisq; faciem terræ.

47. Illustre quoque est, quod extat Iob 33. Spiritus Dei
fecit me, & Spiraculum omnipotentis vivificavit me.

48. Omnipotentia hæc & Deitas Spiritus sancti fulget
etiam in alijs operibus ipsius, maximè in hoc, quod omnipo-
tenti sua obumbratione præstitit, ut contra naturam omnem
Maria virgo unigenitum λόγον Dei filium in virginali suo
utero conciperet, Luc. 1. Quo mirando opere Divinitas Spi-
ritus sancti gloriosissimè declarata & illustrata est.

49. Quod etiam Christus ad prodigia sua facienda, & mi-
raculosas illas ægrorum & à Satana oppressorum liberationes
& curationes præstandas, Spiritu sancto potentiaq; unctus
esse memoratur, Acto 10. quodq; Christus ipse confirmat, se
SPIRITV Dei (quem apud Lucam DIGITVM Dei nominat,
eijcere dæmonia, Matth. 12. est & hec argumentum absque
controversia magnum & invictum, Spiritum sanctum esse ve-
rum Deum, adeoq; omnipotentem illum Digitum Dei, quo sua
quoq; Moles coram Ægyptijs miracula fecisse legitur, Exod. 8.

50. Nec minus illustre est, quod discipulorum idiotarum
mentes non modò cognitione totius scripturæ Propheticæ
doctri-

doctrinaeque; Evangelicae complevit, verum etiam linguarum omnium, quae sub caelo sunt, accurata scientia notitiaque; collustravit subito: id quod omnis exercitus creaturarum collatis in unum viribus suis efficere haudquaquam valuisset

51. Et quia solus Deus est, qui dona operatur in nobis iuxta illud, 1. Cor. 12. Deus est, qui efficit omnia in omnibus. Et Iac. 1. Omnis donatio bona & omne donum perfectum est supernis est, descendens à Patre luminum: & verò Spiritui sancto eiusque; potenti operationi dona pariter uniuersa Paulus accepta fert, 1. Cor. 12. non ambigè illum hinc quoque infinitae potentiae ac Deitatis esse cernimus.

52. Est verò & hoc increatae potentiae opus, quod causam suam effectricem declarans esse uerum Deum, quòd Spiritus sanctus vivificat seu naturalem hanc vitam confert. Iob 33. imò ad vitam illam spiritualem Dei nos in peccatis mortuos resuscitat, 1. Cor. 3. & ad Dei imaginem transformat, ibid.

53. Infinitam quoque sapientiam ei tribuendo, simul increatam Divinitatem ipsius claro in speculo expressam ostendit scriptura Prophetica & Apostolica.

54. Esa. 40. absoluta ei tribuitur omniscientia, quam ipse nec ex revelatione, nec ullius alterius institutione, sed per naturam & essentiam obtineat: Quis (inquit Propheta) direxit SPIRITVM Domini? & quis fuit ei à consilijs? à quo petijt consilium & instruxit eum? docuitque; eum semitam iudicij, atque erudivit eum scientia, & viam intelligentiarum ostendit illi? Et rursus: Spiritus OMNIA scrutatur, 1. Cor. 2. Vnde Spiritus nominatur OMNIA perspiciens, Sap. 7.

55. Prædictio certè futurarum rerum & eventuum qua se Dominus verum Deum esse demonstrat, atque hoc attributo à cunctis gentilium Dijs commentitijs secernit. Esa. 4. luculenter assignatur Spiritui sancto, Iohan. 6. Act. 1. & 21. Ephes. 3. 1. Tim. 4. 1. Pet. 1. 2. Pet. 2. Heb. 10.

56. Nec verò tantum perspectas habet res post multa secula futuras, sed introducitur insuper ut cordium humanarum Scrutator, ut qui ea renovat & emendat, pravas cogitationes expellit, bonas & sanctas excitat, flectit ac movet mentes

B

homi-

hominum, ciet in eis novos spirituales motus, illuminat, regenerat, sanctificat, regit & gubernat eas.

57. Et quia solius Dei est scrutari corda hominum, 1. Reg. 8. quòdò potentius erit argumentum Deitatis Spiritus sancti, quòd non hominum tantum intima cogitata perspicit, sed ipsius Dei cor, & imam abyssum cogitationum eius perscrutatur? de quibus cogitationibus suis apud Prophetam Dominus: sicut exaltati sunt cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris, Esa. 55.

58. Sic verò de Spiritu sancto refert Apostolus, 1. Cor. 2. Nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam PROFUNDITATES DEI; Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo? sic & ea, quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus DEI.

59. Sed & æternitatis idiomate soli Deo proprio Spiritus hic insignis est. Quandoquidem Heb. 9. πνεῦμα αἰώνιον, Spiritus ÆTERNVS dicitur.

60. Et quoniam prima parte Thesium ostendimus, illum à Patre filioq; procedere: irrefragabilis consequentia est, si πρῶτος seu spirator æternus est, esse necessariò etiam æternum a deoq; spiratori suo coæternum spiraculum, quod ab eo procedit.

61. Iam πρῶτος sacri Spiritus Patrem videlicet, ut & filium, evicimus esse ab æterno. Ab æterno igitur etiam sit oportet procedens ab eis spiraculum.

62. Consequentia nexus est hic, quia Pater & Filius non extra suæ Deitatis substantiam, sed in ea spirant, spirandoq; producant Spiritum sanctum.

63. Quare si quis contendat, Spiritum sanctum non ab æterno spirari à Patre & Filio, sed fingat, Patrem & Filium cœpisse illum spirare in tempore: is largiatur oportet, Patrem & Filium in sua substantia subiisse notabilem alterationem ac mutationem, qualis mutatio & conversionis obumbratio non regnat apud immutabilem Deum, Jac. 1.

64. Porro

64. Porro cultus adorationis in solum Deum conferendus, Matth. 4. quia ad Spiritum sanctum quoque dirigitur à beat is Seraphim, dum non solum Patri & Filio, sed etiam ex interpretatione Paulina Actorum 28. Spiritui sancto acclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: evicta constat & sic stabilita sacrosancta Deitas ipsius, ut ne quidem portæ inferorum eam expugnare possint.

65. Atque idcirco fiducia cordis in illum collocatur. Profitemur enim in Symbolo, nos **C R E D E R E** Spiritum sanctum.

66. Quin & in ipsius nomine baptizamur, non minus atq; in nomine Patris & Filij, Matth. 28.

67. Quia verò baptismus definiente Petro, 1. Epist. 3. est fœdus bonæ conscientiae cum Deo: quis non videt ipsam Baptismi nostri formulam Deitatis laudem illi palam concedere?

68. Maximè verò etiam hinc apparet esse Deus, quòd blasphemia in eum iacta reputatur esse crimen læsæ Maiestatis æternæ ac divinæ, neq; in hoc, neq; in futuro seculo remissibile, Matth. 12.

69. Nec levis coniectura, sed indubitatum τεκμηριον Deitatis ipsius ex eo petitur, quando Paulus Rom. 9. iurat in nomine Spiritus sancti, quem cordis & conscientiae suæ testem invocat, dicens: Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea, **P E R S P I R I T V M** sanctum.

70. Scimus autem iuramentum, cum sit pars seu species divini cultus, non nisi in solius Dei nomine fieri oportere, Deut. 6. Jerem. 5.

71. Autoritas insuper hæc planè divina transcribitur ei, qua mittit Messiam, Esa. 48. ungit illum, Esa. 61. in desertum agit illum, Malach. 4. consummataq; tentatione Diaboli in Galilæam ipsum reducit, Luc. 4.

72. Supremam denique gubernationem Ministerij Ecclesiastici soli Deo competentem sibi in solidum vendicat Spiritus sanctus, per Apostolos arguens mundum de peccato, iustitia, & iudicio, Iohan. 16. & Acto. 13. dicens: Segregate

B 2 MIHI

MIHI (Spiritu sancto) Barnabam & Saulum ad opus, ad quod accersivi eos.

73. Quin decretum illud Apostolicæ Synodi Ierosolymitanæ refertur manifestè ad Spiritum sanctum, tanquam fidei Magistrum ac Dominum, eiusq; Synodi Præsidem & gubernatorem summum, Act. 15.

74. Is quoque certo consilio divina cnm potestate vetat sermonem loqui in Asia, & Bithynia Acto. 16. Et Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ affirmat Paulus à Spiritu sancto positos ad regendum Ecclesiam, Dei sanguine redemptam, Act. 20.

75. Stat igitur immota & inconcussa doctrina Ecclesiarum nostrarum, quæ Spiritum sanctum confitetur unà cum Patre filioq; **DEVM** verum benedictum in secula, **AMEN**.

FINIS



AB 61 430

ULB Halle

3


002 694 131



SK







7

De Spiritu Sancto
DISPUTATIO,
EX AVGVSTANA

Confessione, Quarta.

Cujus Propositiones,

*DIUINA ASPIRANTE GRA-
tia, Preside AEGIDIO HVNNIO, S. Theolo-
giae Doctore, & Professore, M. JOHANNES
SCHRODERVS Hasso Treisensis, 14. Julii, in
Collegio Disputationum Theologicarum
privato defendere conabitur.*



WITTEBERGAE,

Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci. Anno 1593.

